



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De tribus quæ solent homines ex accessu mulierum ad se decipere. Cap.
II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

tum est ab initio peccatum. Ecclesia. 25. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes motimur. Hieron. Prima tentamenta clericorum sunt frequentes accessus mulierum.

De tribus quæ solent homines ex accessu mulierum ad se decipere.

CAP. II.

Sed tria solent circa aliquos decipere, scilicet sanctitas mulierum, fiducia de propria castitate, & consanguinitas. ¶ Contra primum dicit Hieron. Si pudicitiam quæris, feminam quam videris bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequenter ornatu. ¶ Contra secundum similiter dicit Hieron. Ostiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terent. Vide ne sub eodem tecto mæleris, nec in præterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Samson fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi columnam mulier de possessione sua eiecerit. Si dixerit forsitan aliquis se non stipulam esse, sed ferrum, & ideo non oportere eum timere mulierum familiaritatem: scimus quod ignis ferrum ipsum immutat, & quasi ignem induit. Sic & ignis luxuriæ etiam homines ferreos immutat in malum. Vnde Hieron. Ferreas mentes libido domat. Ex duobus etiam lapidibus si inuicem colliduntur, ignis exit: Sic ex familiaritate duarum personarum, quæ quasi lapideæ videntur, exit quandoque ignis luxuriæ. ¶ Præterea, et si murus à cædela iuxta se posita non comburatur, tamen denigratur. Sic licet homo non cadat ex familiaritate mulierum in peccatum carnis, tamen aliquantulum inquinatur. Vnde Hieron. Crede mihi, non potest cum domino toto corde habitare, qui foeminarum accessibus copulatur. ¶ Contra tertium dicit Hieron. Si generis gratia iudicas mulieres nullo modo dimittere, memeto quod Thamar à fratre suo corrupta sit: præcipue verò debet homo cauere ne sit solus cum sola. Vnde Hieron. Solus cum sola secreto absque arbitris ne sedeas. Ad hoc facit quod legitur Gen. 39. Accidit quadam die ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: & illa apprehensa lacina vestimenti diceret, Dormi mecum: & ipse fugit. Sicut autem fugiendæ sunt mulieres, ita & manuscula earum. Vnde Hieron. Crebra manuscula, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandas dulcesque literas sanctus amor non habet. ¶ Fugiendæ etiam sunt loca in quibus homo possit vel spectare mulieres, vel spectari ab eis. Ad quod pertinet quod legitur Eccl. 3. noli circūspicere in vicis ciuitatis, nec obseruaueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta. Ad hoc essent homines multum admonendi post Pascha, hæc enim est occasio recidiuandi multis

E e 2